

**Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro  
singulis Anni diebus**

Complectens Januarium, Februarium, Martium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

Dies 22. De oratione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60495](#)

Februarius.

DIES XXII.

De Oratione.

L

**V**irtus orationis certissima sit,<sup>1</sup> oportet,  
quia divina Bonitate, fidelitate, &  
meritorum Christi virtute nititur. Ac  
propterea oratio, ut oportet, facta, effectu  
suo frustrari non potest; cum fieri nequeat,  
ut Deus bonitate, fidelitate, & Christi me-  
rita suâ destituantur virtute. I. Vis ora-  
tionis bonitate Dei nititur: Potestne ea  
solidius habere fundamentum? Proprium  
bonitatis est, se communicare, & proprium  
bonitatis infinitæ est, modo infinito se  
communicare. Quid igitur de bonitate  
Dei non expectandum? Ipse est, ut sancti  
Patres ajunt, nutrix Charitate plena, cui  
lactis abundantia oneri est. Voluptas ei  
affertur, & solatium, cum eo exoneratur:  
Sol est, qui aliud non quærit, quam radios  
suos diffundere, quos roti universo commu-  
nicat, quin vel minimum quid perdat. So-  
lum id age, ut cor tuum ei per preces pate-  
fiat, tunc id penetrabunt. Plenitudo est  
immensa, quæ nihil, nisi vacuitatem, quam

L 2

im-

**Februarius.** impleat, quærit. Humilis verò oratio, cùm sit sincera confessio indigentiae, & impo-tentiæ nostræ, vacuitatem hanc Deo osten-dit, & impetrat, ut ea impleatur.

**II.** Virtus orationis fidelitate DEI nititur : Cùm igitur tam solidum habet fun-damentum, falline potest ? *Amen, amen dico vobis,* inquit servator, *quidquid petieritis Patrem, in nomine meo, dabit vobis.* DEUS fide-lis est, ait Apostolus ; non potest verbis suis non stare. Verùm non tantum promittit, sed etiam jurat, se concessurum, quidquid nomine suo petierimus. Erátne Deo opus juramento, ut nos ad hoc credendum allice-ret ? Quantus nobis honor contingit, dum videmus Deum nostrâ causâ jurare ? Et quanto ipsi probro est, si ejus verbo diffida-mus, etiam cùm id juramento confirmat ? Et sanè, an non is diffidere videtur, qui tan-to cum timore, & tantilla confidentia orat de precum nostrarum, si eae cum vera con-fidentia fiant, effectu dubitare, est de fidel-i-tate DEI ambigere. Quantam ei per hoc injuriam non inferimus ; imò quantam nobis ipsis non inferimus ? De fidelitate DEI dubitare, est esse penitus ethnicum.

**III.** Virtus orationis efficacitate meri-torum Christi nititur ; an ea melius habere fundatum potest ? Quidquid Ecclesia

pe-

petit, quidquid nos cum illa petimus, per Februariū Christum, id est, per ipsius merita, petimus; itaque securi sumus, nos id obtenturos, si cum confidentia petimus. Christus nobiscum petit, quod nos per ipsum petimus. An Pater ipsius id ei negare potest, cùm jure petat id, quod misericordia sua nobis promeritus est? Et verò quid meritus non est, cùm ejus merita sint infinita? Nihil est, quantumvis magnum, & difficile id videatur, quod petere non possimus. Et sperare non debeamus, nos obtenturos, si id per Christi merita flagitamus. Pater æternus omnia nobis debet, quia filius ipsius omnia pro nobis dedit: Neque nimium dare nobis potest; cùm ipsius potentia meritis filij sui major non sit. Si pauperes sumus tantos inter thesauros, in quem culpam, nisi in ipsos referre debemus?

*Erubesce, quod in precibus tuis tam parum confidentiae habeas; quod signum est te parum etiam confidentiae habere in DEI bonitate, ejusdem fidelitate, & meritu Christi Domini.*

*Quocunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Jo. 14.v.13.*

*Omnipotens oratio, cùm sit una, omnia potest. Theod.*

L 3

DIES